

CAPITULUM 7

DE ORDINE PRAEDICAMENTALI

§1

Planum autem erit... 4,14-20 . Ista est secunda pars huius capituli, in qua Porphyrius praemissis distinctionibus manifestat ordinem praedicamentorum in quattuor conclusionibus. Quarum prima est haec: nullum praedicamentum est infinitum. Secunda conclusio: cuiuslibet praedicamenti aliqua pars habet unam habitudinem tantum et aliqua plures, ibi:¹ quemadmodum igitur. Tertia conclusio: praedicamenta ad nullum principium reducuntur quod possit esse genus, ibi:² sed in familiis. Quarta conclusio: cuiuslibet praedicamenti ordo consistit in compositione et divisione, ibi:³ descendentibus igitur.

Prima conclusio arguitur sic: ubicumque datur primum, ultimum et medium, illud non est infinitum; sed in quolibet praedicamento datur primum, ultimum et medium; igitur nullum praedicamentum est infinitum. Tenet consequentia cum maiori, et minor arguitur: in quolibet praedicamento aliquid est generalissimum, et aliquid specialissimum, et aliquid partim generale et partim speciale; igitur etc. Patet consequentia, quia illud quod est generalissimum est primum, et illud quod est specialissimum est ultimum, et illud quod est partim generale et partim speciale est medium; nam medium est illud quod participat naturam extremorum. Antecedens declaratur: illud est generalissimum quod supra se nullum habet superveniens genus, et illud est specialissimum infra quod non est inferior species; illud vero est partim generale et partim speciale quod habet supra se genus et infra speciem. Et omnia talia dicuntur genera et species secundum diversas comparationes: comparata enim ad superiora dicuntur species; comparata vero ad inferiora dicuntur genera. Quibus intellectis, plana et manifesta erit quae libet illarum trium definitionum de specie, videlicet 'species est illud quod ponitur sub assignato genere', 'species est illud de quo

genus praedicatur in quid', 'species est illud quod praedicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid'.

Lege litteram: planum autem erit quod dicitur in illis tribus definitionibus hoc modo: in unoquoque praedicamento, id est: in omnibus praedicamentis, sunt quaedam generalissima, et rursus alia specialissima et inter generalissima et specialissima sunt alia. Est autem generalissimum supra quod nullum aliud est superveniens genus; specialissimum autem post quod non erit alia inferior species; inter generalissimum autem et specialissimum et genera et species sunt eadem ad aliud quidem et ad aliud sumpta.

§2

Sit autem manifestum ... 4,21-25 . Et ut ista clarius intelligantur Porphyrius primo ponit ordinem praedicamentorum, qui est habitudo superioris ad inferius, exemplificans in praedicamento substantiae, quod primum est inter omnia praedicamenta et a quo omnia alia praedicamenta dependent.

Primum quidem in hoc praedicamento est genus substantiae, quod quidem dividitur per corporeum et incorporeum. Et quia differentia adveniens generi constituit speciem, corporeum adveniens substantiae constituit corpus, quod immediate ponitur sub ^bsustantia. Deinde corpus dividitur per animatum et inanimatum; animatum autem adveniens corpori constituit corpus animatum, quod immediate ponitur sub corpore. Item, corpus animatum dividitur per sensitivum et insensitivum, quorum sensitivum adveniens corpori animato constituit animal, quod immediate ponitur sub corpore animato. Iterum, animal dividitur per rationale et irrationale, quorum rationale adveniens animali constituit animal rationale, immediate positum sub animali. Quod quidem, secundum Stoicos, dicitur genus ad hominem et a caelestes deos. Ipsum autem animal rationale dividitur per mortale et immortale, quorum mor-

tale adveniens animali rationali constituit hominem, qui immediate ponitur sub animali rationali. Quia vero homo non dividitur ulterius secundum differentias formales, nihil ultra commune invenitur, sed tantum singularia, scilicet particulares homines, ut Sortes et Plato, quae non constituuntur neque invicem dividuntur per formam dividendam hominem, sed tantum per materiam et per alia accidentia.

Lege litteram: sit autem manifestum in uno praedicamento quod dicitur. Substantia est quiddam per se et primum, et ipsa est genus, sub hac est corpus, sub corpore vero animatum corpus, sub quo animal, sub animali rationale animal, sub quo homo; sub homine vero Socrates et Plato, et alii qui sunt particulares homines.

§3

Sed horum substantia... 4,25-5,1 . Posito ordine praedicamenti substantiae declarat Porphyrius intentum suum, videlicet quod in quolibet praedicamento aliquid est generalissimum et aliquid specialissimum, et omnia intermedia sunt genera et species. Quoniam substantia est generalissimum, quia est genus tantum, cum sit ita genus quod non potest esse species. Nam species est quae ponitur sub assignato genere, per primam definitionem; constat autem quod nullum est genus sub quo ponitur substantia, ut probabitur in tertia conclusione. Homo vero est specialissimum, quia est species tantum; est enim sic species quod non potest esse genus. Nam genus est illud cui supponitur species, ut est ostensum in capitulo praecedenti; homo autem nullam habet sub se speciem, cum non possit dividi per differentias formales, sed secundum totam suam essentiam et potentiam est in quolibet particulari homine. Item, corpus est species et genus: species quidem quia ponitur sub assignato genere, quod est substantia; genus autem quia sibi subicitur species, quae est corpus animatum. Ipsum vero corpus animatum etiam est species et genus: species quidem quia ponitur sub gene

re, quod est corpus; genus autem quia sibi subicitur species, quae est animal. Consequenter animal est species et genus: species quidem quia ponitur sub genere, quod est corpus animatum; genus autem quia sibi subicitur species, quae est animal rationale. Ultimo, animal rationale est species et genus: species quidem respectu animalis, sub quo ponitur; genus autem respectu hominis, qui sibi subicitur. Ipse vero homo non dicitur genus particularium hominum, sed tantum species. Et generaliter omne quod est ante individua praedicamenti substantiae et est illis proximum et immediatum est tantum species, sic quod nullo modo potest esse genus.

Lege litteram: sed horum substantia quidem generalissimum est, et quod genus sit solum; homo vero specialissimum, et quod species sit solum; corpus vero species quidem substantiae, genus vero animati corporis; et animatum corpus species quidem corporis, genus vero animalis; animal autem species quidem animati corporis, genus vero animalis rationalis; et rationale animal species quidem animalis, genus vero hominis. Homo vero species est animalis rationalis, non autem genus particularium hominum, sed solum species; et omne quod ante individua proximum est, species erit solum, non etiam genus.

§4

Notandum quod logicus, quia considerat res non ut habent esse reale in se ipsis, sed ut habent esse obiectivum et intentionale in anima, ideo, sicut genera et species non tantum sunt realiter extra animam, sed etiam intentionaliter in intellectu, consequens est quod ordo praedicamentorum inveniatur intentionaliter in anima sicut extra animam. Intentionaliter reperitur, aliter haec propositio mentalis 'homo est animal' non esset directa nec indirecta, quia non praedica

retur superius de suo inferiori. Non tamen iste ordo est necessarius in anima sicut^u extra animam, quoniam extra animam tanta necessitate est ordo praedicamentalis quanta necessitate est totum universum. Et posito unico individuo cuiuscumque praedicamenti, necessario ponitur totum praedicamentum usque ad generalissimum inclusive, eo quod omne superius est forma cuiuscumque inferioris; constat autem quod nullum individuum potest esse absque omni forma sua. In intellectu autem potest esse unus conceptus sine alio, ideo non est ordo essentialis; potest enim esse conceptus speciei specialissimae absque conceptu generis et e contra.

Et si instatur: 'species est quae ponitur sub assignato genere et genus cui subicitur species', dicitur quod istae definitiones dantur de specie et genere reali, non autem intentionali.

Contra hanc positionem arguitur rationibus Burlaei in prologo Physicorum,⁴ inducendo plura inconvenientia. Primum est quod plura quam decem sunt praedicamenta, et plura quam decem sunt generalissima, contra Poprhyrium hic⁵ et Philosophum in Praedicamentis.⁶ Et quod illud sequatur patet, quia decem sunt in mente mea et decem in mente tua. Sicut etiam arguitur quod non tantum quinque sunt praedicabilia; immo innumerabilia, propter innumerabiles homines quorum aliqui habent et aliqui habuerunt et aliqui habebunt quinque universalialia in mente sua.

Immo sequitur quod generalissimum praedicamenti substantiae habet genus supra se, et quod est in determinata specie qualitatis -quod est contra dicta. Quia omnis conceptus mentis, cum sit qualitas, est in determinata specie qualitatis, et consequenter habet genus qualitatis supra se; sicut generaliter omne individuum alicuius speciei et illa species habet genus supra se -quod est ostensum.

Secundum inconveniens est quod aliquod praedicamentum est infinitum -cuius oppositum est probatum. Et quod illud sequatur arguitur

ex hoc, quod est procedere in infinitum in praedicatis quidditativis, ponendo quod .a., .b. sint duo generalissima praedicamenti substantiae, quorum .a. sit in mente tua et .b. in mente mea. Ab illis ergo potest abstrahi conceptus univocus eis communis, ex quo solo numero differunt; abstrahatur ergo .c. in mente tua et .d. in mente mea. Iterum ab istis potest abstrahi alius conceptus communis univocus, ex quo solo numero differunt; abstrahatur igitur .e. in mente tua et .f. in mente mea. Et proceditur in infinitum.

Tertium inconveniens est quod aliquod genus non est univocum omnibus contentis sub eo -quod iterum est contra Porphyrium. Et patet illud sequi, quia substantia est genus, sub qua ponuntur omnes species praedicamenti substantiae, ut ex dictis sequitur manifeste; et quia aliqua species illius praedicamenti est substantia et aliqua accidens, non poterit substantia de qualibet illarum praedicari univoce, ex quo nihil est univocum substantiae et accidenti, ut probabitur in tertia conclusione.

Quartum inconveniens est quod genus non est principium speciei neque pars eius, neque dividitur per differentias essentielles, neque differentia adveniens generi consituit speciem -quae omnia sunt contra Porphyrium. Et patet consequentia quia genus intentionale non est principium nec pars alicuius speciei intentionalis, neque dividitur per differentias, ex quo non descendit in species; neque differentia intentionalis constituit speciem, cum non sit pars eius, nec principium in aliquo genere causae. Unde breviter arguitur sic: huius propositionis, 'nulla substantia est qualitas', subiectum distribuitur pro omni per se contento sub eo, igitur distribuitur pro omni genere subalterno et specie praedicamenti substantiae; igitur nullum genus subalternum neque species eiusdem praedicamenti est qualitas -cuius oppositum ponit haec opinio.

Ad primum dicitur quod praedicamenta realia sunt tantum decem, et solum decem sunt praedicamenta intentionalia in quantum signa, licet

in quantum res particulares possibile est ea multiplicari in infinitum. Quando autem dicitur quod tantum decem sunt praedicamenta et generalissima, intelligitur de praedicamentis et generalissimis per se; ea enim quae sunt in anima intentionaliter sunt praedicamenta et generalissima per accidens. Praedicabilia autem tam realiter quam intentionaliter sunt innumerabilia, sed denominative sunt tantum quinque, quia iste conceptus, praedicabile, non dividitur nisi in quinque intentiones non concurrentes in denominatione. Neque inconvenit quod generalissimum aliquod praedicamenti substantiae, quod quidem est generalissimum per accidens, habeat genus supra se et sit in determinata specie qualitatis in quantum res quaedam particularis est, non autem in quantum est signum. Et consequenter conceditur quod ille terminus 'qualitas' in quantum est signum est genus ad se ipsum in quantum est res significata.

Ad secundum dicitur quod .a. et .b. conceptus in quantum res significatae solo numero differunt, et ab eis potest abstrahi conceptus communis usque ad ens et non ultra. In quantum autem sunt conceptus et signa non differunt numero sicut neque significata illorum, quoniam distinctio habituum attendi habet penes distinctionem obiectorum.

Ad tertium respondetur quod substantia realis non continet sub se nisi species et genera realia; substantia autem intentionalis continet sub se tantum species et genera intentionalia solum per accidens, in quantum sunt signa generum et specierum realium. Quodlibet ergo genus reale est univocum omnibus contentis sub eo; genus autem intentionale quia non continet aliquam suam speciem nisi per accidens, neque verificatur de illa nisi per accidens, ratione significati, ideo non oportet quod sit univocum omnibus contentis sub illo.

Ad quartum respondetur quod omnes illae propositiones concessae a Porphyrio sunt intelligendae de praedicabilibus realibus. Cum autem proponitur illa negativa 'nulla substantia est qualitas', dico quod

subiectum distribuitur pro omni substantia, et non pro aliquo per se contento sub eo, quia nulla substantia neque aliquid accidens per se continetur sub eo.

§5

Quemadmodum autem... 5,1-7 . Secunda conclusio: cuiuslibet praedicamenti una pars habet unam habitudinem tantum, et aliqua plures. Pro declaratione istius conclusionis Porphyrius primo supponit ea quae dicta sunt in priori conclusione, videlicet: unum est supremum genus quod non potest esse species, et aliud est infimum specificum quod non potest esse genus, inter quae sunt media quae sunt genera respectu inferiorum et species respectu superiorum. Quemadmodum enim substantia, cum sit summa, est generalissimum, quia est genus non potens supra se habere aliud genus, sic et homo est specialissimum, quia species est post quam non est alia species inferior. Neque talis species potest dividi secundum formam, quia ex divisione eius fierent plures species, sed solum est divisibilis materialiter in individua, manente sua communitate. Individua autem, ut Sortes et Plato, etsi divisibilia sunt materialiter et quantitative, sunt tamen indivisibilia secundum communicationem et praedicationem, quoniam incommunicabilia sunt multis secundum esse, neque de pluribus praedicari possunt. Ea vero quae mediant inter substantiam et hominem sunt genera et species, scilicet corpus, corpus animatum, animal et animal rationale; quodlibet enim istorum respectu cuiuscumque superioris est species et respectu cuiuscumque inferioris est genus.

Lege litteram: quemadmodum igitur substantia, cum summa sit, eo quod nihil supra eam, genus est generalissimum, sic et homo, cum sit species post quam non sit altera inferior species, neque aliquid eorum quae possunt dividi secundum formam aut secundum communitatem, sed solum individua. Individuum enim est Socrates et Plato. Species

erit sola et ultima species, et, ut dictum est, specialissima. Quae vero sunt in medio eorum quidem quae supra ipsa sunt, erunt species, eorum vero quae post ipsa sunt genera.

§6

Quare haec quidem... 5,7-16 . Ista suppositione praemissa arguit Porphyrius conclusionem. Et primo quod cuiuslibet praedicamenti aliqua pars habet plures habitudines, quoniam omnia intermedia habent duas habitudines: unam ad superiora secundum ascensum et aliam ad inferiora secundum descensum. Secundum primam habitudinem sunt species superiorum, a quibus essentialiter constituuntur, quoniam ipsa superiora sunt in ipsis secundum totam suam essentiam. Secundum vero aliam habitudinem sunt genera inferiorum et de essentia ipsorum. Ita quod, sicut ipsa constituuntur a superioribus, sic et eadem constituunt inferiora tamquam principia essentialia ipsorum. Extrema autem unam tantum habitudinem habent. Nam generalissimum unam tantum habitudinem habet, videlicet ad inferiora et posteriora, secundum quam dicitur genus. Ad superiora autem nullam habitudinem habet, eo quod est supremum in praedicamento et principium omnium quae sunt in ipso. Specialissimum etiam unam tantum habitudinem habet, videlicet ad superiora, secundum quam dicitur species. Ad inferiora autem nullam habitudinem habet per quam dicatur species aut genus. Cum enim species sit illud quod ponitur sub assignato genere et de quo genus praedicatur in quid, denominationem 'speciei' non accipit ab inferiori, sed tantum a superiori, quod est genus. Etiam non habet habitudinem per quam dicatur genus, quia, cum genus sit illud cui supponitur species, haberet speciem sub se, et consequenter non esset specialissimum. Specialissimum igitur, etsi est species individuorum, hoc non est ratione alicuius habitudinis per quam dicatur species, sed ratione continentiae, quia continet sua individua sicut forma continet materiam et sicut praedicatum

continet subiectum. Est enim species individuorum tanquam continens ea, et superiorum tanquam contentum ab ipsis. Specialissimum igitur est species et specialissimum et praedicatum. Species quidem ratione superiorum, specialissimum autem quia non habet infra se speciem, praedicatum vero ratione individuorum contentorum ab ipso.

Lege litteram: quare haec quidem, scilicet intermedia, duas habent habitudines, eam scilicet quae est ad superiora, secundum quam species esse dicuntur, et eam quae est ad posteriora, secundum quam genera ipsorum esse dicuntur. Extrema vero unam habent habitudinem; nam et generalissimum ad ea quidem quae posteriora sunt habet habitudinem, cum sit genus omnium atque supremum; eam vero quae est ad superiora non habet, cum sit supremum et primum principium. Specialissimum autem unam habet habitudinem, eam quae est ad superiora, quorum est species. Eam vero quae est ad posteriora non habet; sed etiam individuorum species dicitur, sed species quidem individuorum velut ea continens; species superiorum velut quae ab his continetur.

§7

Determinant ergo... 5,17-9 . Ex ista conclusione una cum sua probatione Poprphyrus concludit quattuor correlaria. Primum est quod definitiones determinatae per antiquos Peripateticos de genere generalissimo sunt bene datae, videlicet 'genus generalissimum est illud quod cum sit genus non potest esse species' et 'generalissimum est illud supra quod non est aliud superveniens genus'.

Generalissimum enim est summum in praedicamento et principium omnium specierum quae sunt in eo, ut probatum est; igitur non potest esse species. Si enim esset species subiceretur generi, et sic non esset summum in praedicamento; et si esset species constitueretur a genere, et ex hoc non esset principium omnium specierum.

Item, generalissimum est extremum et non medium neque infimum, ut

ostensum est, igitur supra ipsum non est aliud superveniens genus. Pa
tet consequentia, quia si haberet genus supra se ipsum, esset medium
 vel infimum et non extremum.

Lege litteram: determinant ergo Peripatetici generalissimum illud
quod cum sit genus species non est, et rursus supra quod non est aliud
superveniens genus.

§8

Specialissimum vero... 5,19-21 . Secundum correlarium: defini
 tiones determinatae per ipsos Peripateticos de specie specialissima
 sunt bene assignatae.

Patet: nam prima definitio est ista 'specialissimum est illud quod
 cum sit species non potest esse genus'. Si enim posset esse genus, ha
 beret aliquam speciem infra se, et sic non esset specialissimum. Te
net consequentia, quia genus est illud cui supponitur species. Secun
da definitio est haec 'specialissimum est species non divisibilis in
 species'. Patet, quoniam illud quod est divisibile in species descen
 dit in illas per differentias divisivas et constitutivas; constat au
tem quod non habet differentias in se per quas possit descendere in
 aliud, sed immediate per se ipsum descendit in individua. Tertia de
finitio est illa 'specialissimum est illud quod praedicatur in quid
 de pluribus differentibus numero solum'. Nam, quia divisio formae est
 causa numeri formalis et divisio materiae est causa numeri materialis,
 et specialissimum non dividitur per formam sed per materiam et est in
 suis individuis secundum totam suam essentiam, necesse est quod prae
 dicetur in quid de his quae solo numero mere differunt.

Lege litteram: specialissimum vero cum sit species non est genus,
et quod cum sit species numquam dividitur in species, et quod de plu
ribus differentibus numero in eo quod quid sit praedicatur.

§9

Ea vero quae sunt in medio... 5,21-3 . Tertium correlarium: de definitiones determinatae per eosdem Peripateticos de subalterno sunt bene assignatae. Ista enim sunt duae, videlicet 'subalternum est illud quod est medium inter extrema', scilicet inter generalissimum et specialissimum; item, 'subalternum est illud quod cum sit species potest esse genus', non tamen respectu eiusdem, sed ad aliud et aliud comparatum: respectu superioris est species et respectu inferioris est genus. Non enim dicitur subalternum quia sub se habet genus vel speciem, quia tunc generalissimum esset subalternum, neque dicitur subalternum quia subalternatur generi vel speciei, quia tunc specialissimum esset subalternum -quod est falsum-, sed dicitur subalternum active et passive respectu generis et speciei. Est enim subalternum quia subalternatur generi et sibi subalternat speciem. Et ex hoc patet quod differt subalternum a subalternato, quia species specialissima est subalternata, non autem subalterna.

Lege litteram: ea vero quae sunt in medio extremorum subalterna vocantur genera et species, et unumquodque ipsorum species esse et genus possunt ad aliud quidem et ad aliud sumpta.

§10

Ea vero quae... 5,23-6,3 . Quartum correlarium: ordo praedicatorum assimilatur ordini familiarum. Probatur: quia sicut in familiis dantur extrema et media, et primum et ultimum, ita et in praedicamentis et sicut in familiis ascendendo ab infimo ad ultimum quo ad nos omnia intermedia recipiunt denominationem extremorum, ita in praedicamentis ascendendo a specialissimo, quod est infimum, ad generalissimum, quod est ultimum quo ad nos, omnia intermedia sunt genera et species.

Verbi gratia, in regno Graecorum fuerunt quinque familiae quarum

infima et proxima quo ad nos fuit familia Agamemnonis; ista traxit originem a familia Atridis, familia Atridis originem traxit a familia Pelopidis, familia Pelopidis a familia Tantalidis, haec autem a familia Iovis, quae dicitur ultima in ascendendo, quae tamen est prima in descendendo. Accipiamus ergo capita istarum familiarum, quae sunt Agamemnon, Atrides, Pelopides, Tantalides et Iuppiter, quibus invicem comparatis dicemus quod extrema huius ordinis importantis prius et posterius sunt Iuppiter et Agamemnon, quorum Iuppiter, quia primus et summus, dicitur pater et non filius, Agamemnon, quia est ultimus in descendendo et infimus, est filius et non pater. Quilibet autem aliorum intermediorum, videlicet Atrides, Pelopides, Tantalides, est pater et filius; pater quidem cuiuslibet posterioris, et filius cuiuslibet prioris ante eum. Et sic in omni praedicamento dantur duo extrema, quorum unum est primum et summum, et hoc est genus tantum, secundum extremum est infimum et ultimum, et hoc est species solum. Omnia autem intermedia sunt genera et species: genera quidem respectu inferiorum, et species respectu superiorum.

Lege litteram: ea vero quae sunt ante specialissima usque ad generalissimum ascendentia, et genera dicuntur, et species, et subalterna genera, ut Agamemnon, Atrides et Pelopides et Tantalides, et ultimum Iovis.

§11

De natura medi

Notandum quod triplex est medium, scilicet mathematicum, physicum et logicum. Medium mathematicum est medium ordinis et positionis, eo modo quo dicimus lineam habere puncta extrema et intermedia. In linea est ordo punctorum invicem, quia aliquis punctus est prior, et aliquis posterior, et aliquis medians, qui dicitur prior respectu sequentis et posterior respectu praecedentis. Talis enim punctus facit positionem

in linea, quia facit unam partem esse extra aliam, et unam distare ab alia.

Medium physicum est medium realis mixtionis, eo modo quo dicimus colores, odores et sapes habere medium et extrama. Rubedo enim, vi redo et palledo dicuntur colores medii; albedo vero et nigredo sunt colores extremi, ex quorum mixtionibus resultant colores medii. Sicut ex alia et alia mixtione qualitatum primarum resultant colores, odores et sapes.

Medium autem logicum est medium universalis praedicationis, quod quidem dicitur subalternum inter generalissimum et specialissimum. Universaliter enim praedicatur de quolibet inferiori et universalem recipit praedicationem a quolibet superiori. Istud medium convenit cum medio mathematico in ordine prioris et posterioris, quoniam istud sicut illud habet aliquid prius et aliquid posterius; disconvenit autem in positione, quia non facit extrema distare neque realiter differre. Homo enim, animal et substantia simul sunt et non realiter invicem differunt. Convenit etiam cum medio physico in hoc, quod sicut illud medium componitur ex extremis, ita medium logicum. Componitur enim rubedo ex albedine et nigredine, animal autem ex substantia et homine; sed non eodem modo, quia componitur ex substantia tanquam ex parte essentiali, et ex homine tanquam ex parte subiectiva. Disconvenit autem quia extrema in colore medio realiter differunt invicem et ab ipso medio, et sunt eo priora; extrema autem medii logici non realiter differunt invicem, neque ab ipso medio, neque ambo sunt eo priora, sed unum tantum. Animal enim etsi est posterius substantia, tamen est prius homine.

Duo argumenta contra litteram, cum suis responsionibus

Contra praedicta arguitur. Et primo quod substantia, et corpus animatum et animal rationale non sunt genera. Quia ex genere et differentia divisim sumpta fit definitio; constat autem quod corpus animatum et animal rationale divisim componitur ex genere et differentia; ideo quodlibet illorum est definitio et non genus.

Sed de substantia specialiter arguitur quod non sit genus. Quia ens dividitur in substantiam et accidens, secundum Philosophum, VII Metaphysicae;⁷ sed accidens non est genus, alioquin non essent nisi duo praedicamenta; igitur neque substantia est genus.

Item, ens ex eo non dicitur genus quia plura inaequaliter significat secundum prius et posterius; constat autem quod substantia plura significat secundum prius et posterius; nam prius significat speciem subalternam quam specialissimam, ex quo prius de illa praedicatur.

Praeterea, si substantia esset genus, omne illud esset in praedicamento substantiae per se de quo ipsa per se et essentialiter praedicatur; sed substantia per se et essentialiter in primo modo dicendi per se praedicatur de Deo, materia prima et forma substantiali; igitur haec omnia sunt per se praedicamento substantiae. Consequens falsum, quia non apparet quod sint individua, neque species neque genera illius praedicamenti.

Secundo arguitur quod generalissimum et specialissimum non sunt extrema praedicamenti. Quia sicut genus per se praedicatur de specie, ita species de individuo, et sicut posterius est species quam genus, ita individuum quam species; igitur individuum est alterum extremum in descendendo, et non aliqua species; et consequenter habetur quod specialissimum habet duplicem habitudinem sicut subalternum, unam videlicet ad superius et aliam ad inferius.

Item, specialissimum habet speciem infra se, igitur non est extre

mum praedicamenti. Antecedens arguitur; nam linea est specialissimum praedicamenti quantitatis, per Aristotelem in Praedicamentis,⁸ et tamen est genus ad lineam rectam et ad lineam curvam, ut habetur VIII Physicorum.⁹

Ad primum dicitur quod corpus animatum et animal rationale non sunt genera, sed potius definitiones. Quodlibet enim genus est praedicabile, nullum autem illorum est praedicabile, quia idem est praedicabile et unum praedicabile sicut motus et unus motus, per Aristotelem, V Physicorum,¹⁰ sicut etiam ens et unum ens, IV Metaphysicae,¹¹ et sicut propositio et una propositio, per Philosophum, I Elenchorum;¹² constat autem quod nullum illorum est praedicabile unum, sed plura, videlicet genus et differentia. Posuit autem Porphyrius illas definitiones loco generis propter carentiam vocabulorum; unde loco illius complexi 'corpus animatum' debet poni 'vivum', loco autem illius 'animal rationale' nihil poni debet, quia tale converteretur cum homine sicut animal rationale. Dixit autem Porphyrius animal rationale esse genus propter opinionem Platonis, quam etiam in hoc secutus est Avicenna¹³ et alii Arabes, quod corpora caelestia sunt animalia rationalia. Quod non est verum, quia sentire non possunt propter defectum tactus. In his enim non sunt qualitates primae, ex quibus aggeneratur tactus. Socrates autem et plures alii Stoici dixerunt animal rationale esse genus ad hominem et ad deos, ut ait Apuleius in libro De deo Socratis.¹⁴ Quod iterum non est verum, quia dii corpus non habent neque sensum. Sed Epicurei¹⁵ quosdam homines mortales posuerunt et quosdam immortales, partim terrestres, ut Cererem et Aesculapium, et partim infernales, ut Plutonem et Vulcanum, quos dixerunt esse animalia rationalia. Sed quia haec est fictio non est ponenda in materia speculativa, veritatis inquisitiva; non ergo sunt tales homines immortales, neque corpora caelestia sunt animalia rationalia, propter defectum sensus, dii vero propter defectum corporis. Sed est dicendum cum Ari

stotele, XII Metaphysicae,¹⁶ quod corpora caelestia sunt animata non quidem anima vegetativa vel sensitiva, sed anima intellectiva. Deus autem et intelligentiae neque sunt animalia neque rationabilia, proprie loquendo, quia non utuntur ratione sicut neque discursu in cognoscendo. Habent tamen intellectum per quem cognoscunt et voluntatem per quam amant et desiderant, ut probat Philosophus et Commentator in loco allegato.¹⁷

Cum autem arguitur de substantia quod non est genus, dicitur quod quando ens dividitur in substantiam et accidens, tunc substantia non est genus, sed est quoddam commune analogum ad Deum et materiam primam, formam substantialem et compositum. Et si dicitur esse quoddam genus in principio II De anima,¹⁸ non accipitur proprie 'genus', sed intendit Philosophus quod sit quoddam commune ad materiam, formam et compositum. Accipiendo autem ens magis stricte, ipsum dividit Aristoteles, VI Metaphysicae,¹⁹ immediate in decem praedicamenta, quorum primum dividendum est substantia, quae est vere genus, quae non praedicatur in recto de Deo, neque de materia prima, neque de forma substantiali, in quantum est principium substantiae. Sed haec omnia sunt per reductionem in praedicamento substantiae. Forma tamen substantialis absolute considerata, quia componitur ex actu et potentia seu ex genere et differentia, est per se in praedicamento substantiae, sicut exemplificat Philosophus in prologo De anima,²⁰ quod anima est genus illius praedicamenti, anima intellectiva et sensitiva sunt species. Haec autem anima et illa sunt individua, neque talia ponuntur in linea substantiarum corporalium, sed spiritualium, quoniam anima et quaelibet alia forma substantialis est per se indivisibilis; si autem dividitur hoc est per accidens, ratione materiae.

Deinde, cum arguitur quod substantia non est genus quia plura inaequaliter significat, dicitur quod ens non removetur a ratione generis propter significare plura inaequaliter, sed propter significare illa

secundum causam et causatum. Numerus enim, et continuum et figura plu-
 ra significant inaequaliter, et tamen sunt genera; sed non significant
 illa ut causam et causatum. Numerus enim significat binarium et ter-
 narium inaequaliter, non tamen sub hac ratione, ut binarius sit causa
 ternarii -non obstante quod binarius de necessitate sit causa ternarii.
 Idem dicatur de continuo respectu lineae et superficiei, et de figura
 respectu trianguli et quadranguli. Ita in proposito, licet species su
 subalterna sit causa speciei specialissimae, tamen quia substantia non
 significat illa sub illa ratione, licet ea significet secundum prius
 et posterius, non propter hoc removetur a ratione generis.

Ad secundum respondetur quod Porphyrius determinat de praedicabili-
 bus per se et de individuis per accidens. Ideo species specialissima
 etsi non est extremum simpliciter praedicamenti, tamen est extremum
 omnium praedicabilium quae ponuntur in recta linea praedicamentali.
 Et consequenter conceditur quod specialissimum habet duplicem habitu-
 dinem: unam ad superius et aliam ad inferius. Non tamen habet nisi
 unam habitudinem per quam dicitur species; neque habet aliquam habitu-
 dinem ad individuum tamquam ad praedicabile, sed tamquam ad contentum
 suum, sicut materia continetur a forma et subiectum a praedicato.

Sed quando arguitur quod linea est quoddam genus ad lineam rectam
 et ad lineam curvam, dicitur quod Aristoteles ibi²¹ non intendit li-
 neam esse genus logicum, sed naturale, eo modo quo dicit, V Metaphy-
sicae,²² quod superficies est genus coloris, non ratione praedicatio-
 nis, sed inhaesionis. Ita linea dicitur genus naturale ad lineam rec-
tam et curvam, in quantum rectitudo et curvitas sunt in linea tamquam
 in subiecto. Omne enim primum receptivum alicuius formae vocat ibi
 Aristoteles genus naturale. Ita quod non solum vocatur genus naturale
 primum principium effectivum multorum, sicut Iuppiter aut Tantalus,
 sed etiam primum subiectum receptivum multorum, sicut est materia pri-
ma respectu formarum substantialium, et superficies respectu colorum,

et linea respectu curvitatatis et rectitudinis.

§13

Sed in familiis quidem... 6,3-7 . Tertia conclusio: praedica-
menta ad nullum principium reducuntur quod possit esse genus.

Ista conclusio ponitur ad tollendum dubium quod posset oriri ex
dictis. Concessum enim est in secunda conclusione quod ordo praedica-
mentorum assimilatur ordini familiarum, ex qua conclusione posset quis
inferre quod sicut multae familiae reducuntur ad unum principium, quod
est genus naturale, ita multa praedicamenta possent reduci ad unum
principium, quod est genus logicum. Posset enim quis credere quod si
cut omnes familiae nominatae reducuntur in Iovem, ita omnia praedica-
menta reducuntur in aliquod unum principium, quod quidem est genus re-
spectu omnium praedicamentorum, sicut Iuppiter respectu omnium illarum
familiarum. Sed non est similitudo bona, quia genera et species unius
praedicamenti assimilantur multitudini familiarum, sed omnia praedica-
menta non sic assimilantur, quia unius praedicamenti non est nisi unum
principium primum; decem autem praedicamentorum sunt decem prima prin-
cipia, quae sunt decem generalissima. Arguit ergo Porphyrius quod prae-
dicamenta ad nullum principium reducuntur quod possit esse genus, quia
si sic videtur quod genus omnium praedicamentorum sit ens; sed dupli-
citer probatur quod ens non sit genus omnium praedicamentorum. Quia
ex opposito sequitur quod ens est omnium genus, et quod omnia sunt
eiusdem generis -sed hoc est falsum. Non quidem ens est genus omnium,
neque omnia sunt eiusdem generis; quia, si sic, unum tantum esset om-
nium principium, videlicet ens, et non essent decem prima principia,
contra Aristotelem in Praedicamentis,²³ ponentem ordinem praedicamen-
torum penes decem generalissima, quae sunt, secundum ipsum, decem pri-
ma principia rerum.

Lege litteram: sed in familiis quidem ad unum plerunque reducuntur

principium. Verbi gratia, ad Iovem. In generibus autem et speciebus diversorum praedicamentorum non sic se habet; neque enim est commune omnium genus ens, nec omnia eiusdem generis sunt secundum unum supremum genus, quemadmodum dicit Aristoteles, sed sunt posita, id est: ordinata, quemadmodum in Praedicamentis dictum est, prima decem genera quasi decem prima principia.

§14

Vel arguitur sic... 6,8-11 . Secundo sic: omne genus univoce praedicatur de omnibus suis contentis; si ergo ens esset commune genus omnium praedicamentorum et omnium rerum, ipsum diceretur univoce de omnibus rebus. Consequens est contra Aristotelem in Topicis,²⁴ dicentem quod si quis omnia entia vocet illa nuncupabit entia non univoce se^d aequivoce. Et ratio est haec, quia univocum significat omnia contenta sub eo secundum unum nomen et unam rationem definitionis, ut ostenditur in Antepaedicamentis;²⁵ constat autem quod decem generalissima, quae sunt rerum prima principia, non conveniunt in ente secundum unam rationem definitionis, cum ens non definiatur neque habeat differentiam per quam possit constitui definitio. Sed conveniunt tantum secundum nomen.

Lege litteram: vel arguitur sic: si omnia quis entia vocet, aequivoce -inquit Aristoteles- nuncupabit, non univoce. Si enim unum esset commune omnium genus ens, univoce entia dicerentur; cum enim decem sint prima principia communia, id est: convenientia, secundum nomen est solum, non etiam secundum definitionis rationem quae secundum nomen est.

§15

Decem quidem generalissima... 6,11-3 . Ex ista conclusione et sua probatione Porphyrius infert duo correlaria. Primum est quod gene

ralissima, et specialissima et individua non sunt eodem numero mensuranda, quia pauciora sunt generalissima quam specialissima, et specialissima quam individua. Unde tantum decem sunt generalissima; specialissima vero quodammodo innumerabilia sunt, non tamen sunt in numero infinito, sed finito; solum individua vero sunt infinita. Ita quod alicuius speciei sunt infinita individua, videlicet carnis et sanguinis, lineae et superficiei; homo autem et equus, etsi nunc non habent infinita individua, infinita tamen habuerunt et habebunt, supposita aeternitate mundi. Neque alicui istarum specierum repugnat habere infinita individua; si autem non habet, hoc non procedit ex parte naturae specificae, sed propter repugnantiam universi, quod finitum est, ut probatur I Caeli.²⁶

Lege litteram: decem quidem generalissima sunt, specialissima vero in numero quodam sunt multo maiori, non tamen indefinito, id est: indeterminato propter infinitatem, individua autem, quae sunt post specialissima, infinita sunt.

§16

Quapropter ad specialissima... 6,13-6 . Secundum correlarium: descensus praedicamentalis incipit a generalissimis et terminatur ad specialissima. Patet, auctoritate Platonis praecipientis quietem in specialissimis, quando fit descensus a generalissimis ad specialissima. Et ratio est ista: quia tandiu debet quis descendere quamdiu invenit media divisibilia specificis differentiis, quia isto modo investigantur definitiones rerum et fiunt demonstrationes per quas acquiruntur scientiae. Constat autem quod specialissimum non dividitur specificis differentiis, quia aliter non esset specialissimum, ideo ibi terminatur totus descensus. Individua quidem relinquenda sunt, quia sunt infinita; infinitum autem, ut infinitum, est ignotum, ut probatur I Posteriorum.²⁷ Iterum relinquenda sunt quia de ipsis non

habetur scientia, sicut neque definitio neque demonstratio, ut habetur I Posteriorum,²⁸ VI Topicorum²⁹ et VII Metaphysicae.³⁰

Lege litteram: qua propter ad specialissima a generalissimis descendentem iubet Plato quiescere. Descendere autem per media dividentem contingit specificis differentiis; infinita -inquit Plato- relinquenda sunt. Neque enim posse contingit eorum fieri disciplinam.

§17

De communitate entis respectu praedicamentorum

Notandum quod de communitate entis respectu praedicamentorum fuerunt quattuor opiniones. Prima opinio fuit Anaxagorae et aliorum plurimum Epicureorum, dicentium quod ens est genus, non quidem ad decem praedicamenta, sed tantum ad genera et species praedicamenti substantiae. Quoniam omne genus absolute sine additamento praedicatur de quolibet suorum contentorum; sed ens non praedicatur absolute sine additamento nisi de substantia; ergo ens non est genus nisi ad ea quae sunt in praedicamento substantiae. Patet consequentia cum maiori. Minor vero declaratur, ex eo quia haec est absolute vera 'substantia est ens', haec autem non est absolute vera 'accidens est ens', sed ens inhaerens, eo quod ens significat omnia entia per comparisonem et attributionem ad substantiam, sicut sanum significat dietam et urinam per attributionem ad sanitatem. Constat autem quod urina non est sanitas, sed est signum sanitatis; neque dieta est sanitas, sed est causa sanitatis. Ita quantitas non est ens, sed est mensura entis; et qualitas non est ens, sed est dispositio entis; et relatio, una cum aliis praedicamentis respectivis, non est ens, sed modus entis, videlicet substantiae. Et ex his concludebant quod ens est genus, quia convertitur cum substantia, quae est genus.

Istam opinionem secutus est Johannes Buridanus,³¹ et Marsilius³² et alii plures Parisienses moderni, dicentes quod ens et substantia

convertuntur, ita quod omnis substantia est ens et omne ens est substantia. Et ratio istorum fuit ista: quaecumque aliquis terminus significat plura secundum prius et posterius, semper ille terminus solitarie sumptus supponit pro famosiori; sed 'ens' significat substantiam et accidens, et prius substantiam quam accidens; igitur 'ens' solitarie sumptum semper stat pro substantia. Tenet consequentia cum minori, per Aristotelem, IV Metaphysicae.³³ Maior colligitur a Philosopho, II De anima,³⁴ dicente quod oculus dicitur aequivoce de oculo vivo et oculo mortuo, et principaliter de oculo vivo. Ideo haec est falsa 'oculus mortuus est oculus'. Sicut etiam in Antepaedicamentis³⁵ habetur quod homo dicitur aequivoce de homine picto et homine vivo. Haec tamen nunquam est vera 'homo pictus est homo', sed haec est absolute vera 'homo vivus est homo'; et hoc ideo, quia homo vivus est principaliter significatum illius termini 'homo'. Haec videtur esse intentio Philosophi, I Physicorum,³⁶ dicentis "substantia est illud quod vere est, accidens non est illud quod vere est"; VII autem Metaphysicae³⁷ dicit Philosophus quod accidens non est ens, nisi quia entis. Quare etc.

Contra hanc opinionem arguitur. Nam omne divisum absolute praedicatur de quolibet suorum dividendum, et omne habens partes subiectivas de qualibet illarum partium; sed ens dividitur in decem praedicamenta, per Aristotelem, VI Metaphysicae,³⁸ et omnia praedicamenta sunt partes subiectivae entis, per Commentatorem, XII Metaphysicae;³⁹ ergo ens absolute absque additamento praedicatur de praedicamentis decem.

Item, si omne ens est substantia, quia ens prius significat substantiam, sequitur quod omne praedicabile est genus, et omne praedicamentum est praedicamentum substantiae, et omnis numerus est binarius, et omnis motus est motus localis - quae omnia sunt manifeste impossibilia. Et quod illa sequantur patet, quia praedicabile prius significat genus quam alia praedicabilia, et praedicamentum prius significat praedica-

mentum substantiae quam alia praedicamenta, et numerus prius significat binarium quam alias species numerorum, et motus prius significat motum localem quam alia genera motuum, per Commentatorem, III Physicorum.⁴⁰

Ex his patet quod illa propositio non est universaliter vera 'omne quod plura significat unum per prius et aliud per posterius, aut unum principaliter et reliquum ex consequenti, semper absolute sumptum stat pro famosiori'; sed illud esset verum si tale significaret illa plura diversis significationibus, sicut contingit de oculo et de homine. Oculus enim aequivoce dicitur de oculo vivo et de oculo mortuo, et homo de homine vivo et de homine picto; et hoc diversis significationibus. Ens autem una significatione significat decem praedicamenta, per Commentatorem, I Physicorum.⁴¹ Quando autem dicitur 'substantia est illud quod vere est, et accidens non est illud quod vere est', respondetur quod Philosophus per 'vere esse' intelligit simpliciter esse; constat autem quod substantia est ens simpliciter et accidens non est ens simpliciter, ut probatur VII Metaphysicae.⁴² In quo loco ponitur illa propositio 'accidens non est ens nisi quia entis', ad quam sequitur quod accidens non est ens tamquam ab exposita ad unam suarum exponentium. Ex eo enim accidens non est ens nisi ratione substantiae, quia a substantia recipit totum suum esse. Propterea dicitur ibidem quod substantia est prior accidente cognitione, definitione et tempore.

Item, dato quod ens convertatur cum substantia, non propter hoc sequitur quod ens sit genus, si substantia est genus. Quia homo convertitur cum risibili et cum animali rationali; et risibile est proprium et animal rationale est definitio; non tamen propter hoc homo est proprium aut definitio.

Secunda opinio fuit Platonis et aliorum Stoicorum,⁴³ dicentium quod ens est genus ad omnia praedicamenta, sicut substantia ad omnes

substantias et quantitas ad omnes quantitates; et quod ens dicit unam naturam praedicabilem de omnibus praedicamentis, sicut animal dicit unam naturam praedicabilem de omnibus animalibus et color dicit unam naturam praedicabilem de omnibus coloribus.

Unde arguebat sic: ens praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid, igitur ens est genus. Patet consequentia a definitione ad definitum; antecedens videtur manifestum, ex eo quia ens praedicatur de homine et de equo, qui differunt specie. Et quod praedicetur in quid de eis patet quia ad interrogationem factam de homine vel de equo 'quid est hoc' convenienter respondetur 'ens' sicut convenienter respondetur 'substantia'.

Item, ens est universale; et non est species, neque proprium, neque differentia, neque accidens; ergo est genus. Patet consequentia cum minori; maior videtur nota, ex eo quia ens est conceptus simplex praedicabilis de pluribus secundum unam rationem; unde ratio entis est entitas seu esse illud quod est. Constat autem quod ens de omnibus rebus praedicatur, aut quia est entitas aut quia est illud quod est.

Istam opinionem reprobatur Aristoteles, III Metaphysicae,⁴⁴ dicens "si ens esset genus divideretur per differentias, et quia omnis differentia est extra rationem generis, sequitur quod aliquid invenitur extra rationem entis", videlicet quaelibet suarum differentiarum -quod est impossibile.

Commentator autem sic arguit:⁴⁵ si ens est genus, et omne genus dicit unam naturam, ergo aliquid est quod est substantia et accidens; consequens est falsum, quia substantia et accidens maxime disparata sunt.

Praeterea, data illa opinione sequitur quod non est nisi unum praedicamentum, eo quod omnia conveniunt in ente tanquam in uno genere, quod quidem descendit per differentias in decem praedicamenta, sicut

animal aut color in suas species.

Ratio autem Platonis deficit in duobus. Primo quia sicut species in eo quod huiusmodi praedicatur solum de differentibus numero, ita genus secundum quod huiusmodi praedicatur solum et immediate de pluribus differentibus specie; constat autem quod ens immediate praedicatur de generalissimis decem praedicamentorum, quae non tantum differunt specie, sed genere. Secundo deficit illa ratio quia ens non praedicatur in quid; nam quaestio 'quid est' praesupponit quaestionem 'si est', per Aristotelem, II Posteriorum; ⁴⁶ quando ergo quaeritur quid est hoc, praesupponitur illud esse, et consequenter esse ens.

Deinde, negatur quod ens est universale. Et cum arguitur quod est conceptus simplex praedicabilis de pluribus secundum eandem rationem, respondetur quod hoc non sufficit, sed requiritur quod praedicetur secundum eandem rationem definitionis, ut tangit Porphyrius in littera. Constat autem quod ens non praedicatur de aliquo secundum rationem definitionis, quia non definitur, neque dividitur per differentias constituentes definitionem.

Tertia opinio fuit beati Thomae, ⁴⁷ Alberti, ⁴⁸ et Aegidii, ⁴⁹ et Alexandri ⁵⁰ et aliorum plurium Peripateticorum, dicentium quod ens non est genus ad decem praedicamenta, neque praedicatur de illis secundum unam naturam neque secundum unum conceptum, sed tantum secundum unum nomen, eo modo quo sanum de omnibus sanis et medicativum de omnibus medicativis, ut testatur Philosophus, IV Metaphysicae. ⁵¹ Constat autem quod sanum praedicatur de animali, urina et dieta non secundum unum conceptum, quia numquam assignatur eadem ratio in omnibus istis. Si enim quaeritur propter quid animal est sanum, respondetur quia habet in se sanitatem; et propter quid urina est sana, respondetur quia est signum sanitatis; iterum si quaeritur propter quid dieta aut exercitium est sanum, respondetur quia est causa sanitatis. Similiter medicativum dicitur de medico sub hac ratione, quia habet in se

artem medicinae; dicitur etiam de tali ferro aut herba ex eo quia est instrumentum medicandi. Ita ens dicitur de substantia ut habet esse per se, de accidente autem ut habet esse in alio; igitur de substantia et de accidente non praedicatur ens secundum unum conceptum, sed solum secundum unum nomen.

Contra hanc opinionem arguitur sic: illud quod est obiectum intellectus dicit unum conceptum et unam rationem; sed ens est obiectum intellectus; ergo ens dicit unum conceptum et unam rationem. Tenet consequentia cum minori, per Avicennam in sua Metaphysica.⁵² Maior autem exemplariter probatur: nam obiectum visus dicit unum conceptum et unam rationem, et obiectum auditus dicit unum conceptum et unam rationem, et sic generaliter de aliis obiectis, ut colligitur de mente Philosophi, II De anima;⁵³ igitur per idem obiectum intellectus dicit unum conceptum et unam rationem.

Item, cuiuslibet scientiae subiectum dicit unum conceptum et unam rationem, ut habetur I Posteriorum;⁵⁴ sed ens est subiectum metaphysicae, per Aristotelem, IV Metaphysicae;⁵⁵ igitur etc. Si enim una scientia est unius generis subiecti partes et passiones considerans, secundum quod docet Philosophus, I Posteriorum,⁵⁶ et metaphysica est una scientia, oportet quod subiectum eius sit unum, habens partes et passiones; haec autem non competunt nomini; igitur ens non dicit solum unum nomen, ut illi dicunt, sed etiam unum conceptum et unam rationem.

Praeterea, nihil habet partes subiectivas nisi dicat unum conceptum et unam rationem, alioquin non haberet rationem totius; sed ens habet partes subiectivas, quae sunt decem praedicamenta, per Commentatorem, XII Metaphysicae;⁵⁷ igitur etc.

Similitudo autem data de sano et medicativo non est intelligenda nisi secundum attributionem, ita quod ens dicit solum unum nomen significando decem praedicamenta per attributionem ad substantiam. Et

tunc significat substantiam ut est ens per se et accidens ut est ens in alio. Si autem significat decem praedicamenta ut sunt decem partes subiectivae contentae sub ipso, sic importat unum nomen et unum conceptum, quia omnia significat secundum unum nomen, quod est 'ens', et unam rationem, quae est esse id quod est.

Quarta opinio fuit Averrois, IV Metaphysicae,⁵⁸ et aliorum bonorum Peripateticorum, dicentium quod ens non dicit unam naturam sicut genus aut species, neque dicit solum unum nomen, ut canis et alia pure aequivoca, sed dicit unum conceptum in quantum omnia significat sub eadem ratione. Inquit enim ipse, IV Metaphysicae,⁵⁹ quod ens non est pure univocum aequivocum, sed medium inter univocum et aequivocum; ita quod non dicit unam naturam, sicut illud quod est pure univocum, neque dicit solum unum nomen, sicut illud quod est pure aequivocum, sed dicit unum conceptum sicut pure univocum et diversas rationes sicut pure aequivocum. Et ex hoc dicitur analogum, quia plura significat secundum eandem rationem; non tamen aequaliter, sed per prius et posterius. Unde ens significat omnia sub ista ratione, quae est: esse illud quod est. Et secundum hoc habet rationem univoci et dicit unum conceptum. Deinde, quia significat substantiam per prius et accidens per posterius, et significat substantiam ut est causa omnium aliorum, accidens autem significat ut est effectus eius, secundum hoc habet rationem aequivoci, quia significat multis rationibus.

Item, ex intentione Commentatoris, XII Metaphysicae,⁶⁰ ens habet duplicem habitudinem ad decem praedicamenta, videlicet habitudinem attributionis et habitudinem praedicationis. Secundum habitudinem attributionis significat omnia praedicamenta per attributionem ad substantiam; et sic non dicit unum conceptum, sed tantum unum nomen, neque praedicatur essentialiter nisi de substantia. De aliis autem praedicationis praedicatur denominative, sicut sanum de exercitio et urina. Secundum autem quod dicit habitudinem praedicationis tamquam totum ha

bens partes subiectivas de quibus praedicatur, sic praedicatur essentialiter et per se in primo modo de omnibus praedicamentis. Et ex hoc dicit unum nomen et unum conceptum, quia secundum eandem rationem praedicatur de omnibus his. Numquam tamen dicit unam naturam, quia nihil est quod sit omnia entia, sicut aliquid est quod est omnia animalia et aliquid est quod est omnes homines.

Sed ista determinatio videtur immediate contra Porphyrium. Si enim ens dicit unum conceptum et unam rationem, igitur praedicatur univoce; contra Porphyrium in littera, dicentem quod si quis omnia entia vocet, aequivoce et non univoce nuncupabit illa.

Item, dicit Porphyrius⁶¹ quod omnia entia conveniunt in ente non secundum rationem, sed solum secundum nomen.

Respondetur quod non intendit Porphyrius ens nullo modo dici univoce, sed quod non dicitur univoce simpliciter, tamquam dicens unum nomen, unum conceptum et unam naturam. Non etiam intendit quod dicatur aequivoce simpliciter, sicut illud quod importat solum nomen unum et rationes diversas; sed intendit quod dicitur aequivoce, id est multipliciter, secundum intentionem Philosophi, I Physicorum.⁶² Immo etiam genus dicitur aequivoce, non obstante quod sit univocum, secundum illud Philosophi, VII Physicorum,⁶³ "latent in generibus aequivocationes".

Praeterea, non solum dicit Porphyrius quod ens non significat plura secundum rationem, sed "secundum rationem definitionis". Et hoc est verum; in plus enim se habet ratio quam definitio aut quam ratio definitionis. Ratio enim entis non est definitio eius, sed tantum quaedam notificatio quae potest dici descriptio aut definitio exprimens quid nominis.

Quando autem subiungit quod omnia entia conveniunt in ente solum secundum nomen, accipit 'nomen' pro conceptu, et hoc propter penuriam vocabulorum; sicut etiam accipit Philosophus, IV Metaphysicae,⁶⁴ di-

cens "ratio quam nomen significat est definitio".

§18

Descendentibus ergo... 6,16-19 . Quarta conclusio: cuiuslibet praedicamenti ordo consistit in compositione et divisione.

Istam conclusionem Porphyrius dupliciter probat. Et primo sic: si fiat descensus a generalissimis ad specialissima, necesse est divid¹entem ire per multitudinem; si autem e contra fiat ascensus, necesse est colligere multitudinem; ergo etc. Prima pars antecedentis est probata in secundo correlario alterius conclusionis, ubi dictum est quod a generalissimis ad specialissima necesse est dividentem descendere per media specificis differentis.

Verbi gratia, substantia dividitur per corporeum et incorporeum, quae differentiae coniunctae generalissimo faciunt duo genera subalterna, videlicet corpus et spiritum. Corpus autem dividitur per animatum et inanimatum, quae coniuncta corpori faciunt duo alia genera subalterna, scilicet vivum et non vivum. Item, vivum dividitur per sensitivum et insensitivum, quod quidem coniunctum illis differentiis facit duo alia genera subalterna, videlicet animal et plantam. Animal vero, divisum per rationale et irrationale, cum illis differentiis constituit duas species, videlicet hominem et brutum. Homo autem non amplius dividitur per differentias essentielles, sed accidentales, provenientes ex divisione materiae, quae quidem constituunt Sortem, et Platonem et aliam multitudinem individuorum speciei humanae.

Secunda pars antecedentis ostenditur: nam species colligit multa individua in unam naturam, videlicet Sortem et Platonem in naturam hominis; et genus colligit multas species in unam naturam, scilicet hominem et equum in naturam animalis; et magis colligit genus quam species, quia omnia quae colligit species colligit genus et non e contra. Species enim colligit solum differentia numero, genus vero colligit

differentia numero et differentia specie. Dicamus ergo quod Sortes et Plato uniuntur in homine, qui est una species; homo et equus uniuntur in animali, quod est unum genus; animal et planta uniuntur in vivum, quod est unum aliud genus; vivum et non vivum uniuntur in corpus, quod est primum genus subalternum praedicamenti substantiae; corpus autem et spiritus uniuntur in substantia, quae est unum genus generalissimum et principium totius praedicamenti substantiae. Patet igitur quod descendendo necesse est ire per multitudinem, ascendendo autem necesse est ire in unum et colligere multitudinem.

Lege litteram: descendentibus ergo ad specialissima necesse est dividendum ire per multitudinem; ascendentibus vero ad generalissima necesse est colligere multitudinem. Collectivum enim multorum in unam naturam species est, et magis collectivum est illud quod est genus.

§19

Particularia et singularia... 6,20-3 . Secundo sic: quodlibet praedicamentum componitur ex communibus et particularibus; sed communia semper colligunt in unum ea quae sunt multa, et e converso particularia et singularia dividunt in multa illud quod est unum; ergo cuiuslibet praedicamenti ordo consistit in compositione et divisione. Tenet consequentia cum maiori ex determinatis ante, et minor exemplariter declaratur. Nam participatione speciei plures homines sunt unus homo communis; particularibus autem hominibus convenit quod unus homo in specie, qui est homo communis, fiat plures homines, non per divisionem formae, sed per divisionem materiae; ergo quod est commune colligit in unum, quod autem est particulare et singulare dividit in multa. Commune enim et singulare opponuntur sicut opponuntur unio et divisio; nam singulare est semper divisivum, communem autem est semper collectivum et adunativum. Dicitur autem notanter 'adunativum', ne credatur quod genus et species colligant sicut locus communis multa

locata, aut funis multa ligna; sed colligit et unit sic quod de individuis differentibus numero praedicatur una et eadem natura specifica, de his vero quae differunt specie praedicatur una et eadem natura generica.

Lege litteram: particularia et singularia e contrario, id est: per contrarium communibus, in multitudinem semper dividunt quod unum est. Participatione enim speciei plures homines sunt unus homo communis. Particularibus autem competit quod unus et communis homo fiat plures. Divisivum enim est semper quod singulare est, collectivum autem et adunativum quod commune est.

§20

Notandum quod non quodlibet commune colligit multa in unum, sed est collectivum multorum in unum. Quoniam aliqua est species quae non potest habere plura singularia, tamen est apta nata habere plura. Species enim secundum quod huiusmodi non est determinata ad aliquod singulare, quoniam natura specifica, etsi determinat sibi certum gradum perfectionis, non tamen illum sibi determinat in aliquo singulari; ideo ex se apta nata est habere plura supposita. Si autem non habet, hoc est ex aliqua condicione reperta in recipiente. Quia enim materia caeli est intransmutabilis et individua substantiarum separatarum sunt ingenerabilia et incorruptibilia, propterea natura specifica solis aut lunae aut alicuius substantiae separatae non potest habere nisi unum individuum. Non tamen sibi repugnat habere plura; immo, si haberet, aequaliter praedicaretur de illis sicut de uno solo. Natura ergo specifica, quaecumque sit illa, communicabilis est multis et praedicabilis de pluribus. Ideo quodlibet commune, etsi non colligit multa, tamen est collectivum et adunativum multorum. Ex quo sequitur quod individuum non semper dividit actu unum in multa, sed semper dividit actu vel

aptitudine. Propterea melius dicitur 'singulare est semper divisivum' quam quod singulare semper dividit. Si enim ponit Porphyrius in littera quod singulare semper dividit in multa illud quod est unum, accipit 'dividere' ut dicit aptitudinem et non actum. Sicut etiam 'praedicatur', quod accipitur in definitione cuiuslibet praedicabilis, non actum dicit sed aptitudinem.

§21

Duo argumenta contra litteram, cum suis responsionibus

Contra praedicta dubitatur. Et primo quod non plura colligit genus quam species, quia individua sunt infinita, ut concessum est; nullum autem infinitum est altero maius, neque aliqua infinita sunt aliis infinitis plura, ut probatur III Physicorum; ⁶⁵ igitur etc.

Secundo arguitur contra illam propositionem concessam 'plures homines sunt unus homo', quia si plures homines sunt unus homo, igitur per conversionem simplicem unus homo est plures homines; et per consequens unum est multa. Quod est falsum, quia unum et multa opponuntur, per Philosophum, X Metaphysicae. ⁶⁶ Immo sequitur quod unus homo est plures homines et nullus homo est plures homines, quae invicem contradicunt.

Item, dicit Philosophus, IV Physicorum, ⁶⁷ quod licet plures trianguli sint una figura, non tamen sunt unus triangulus; ita etiam licet plures homines sint unum animal, non tamen sunt unus homo.

Ad primum dicitur quod Porphyrius loquitur de continentia per se et non per accidens. Genus enim per se dividitur in plures species, quia ab ipso fluunt differentiae dividentes ipsum et constituentes multitudinem specierum; propterea genus per se continet et colligit multa. Species autem, secundum quod huiusmodi, non habet differentias dividentes eam, sed multiplicatur solum per divisionem materiae; ideo species per accidens continet et colligit multa. Dicitur autem per se continere unum, quia necessario requirit unum individuum. Quia ergo ge

nus per se colligit duas species et species colligit per se tantum unum individuum, propterea plura colligit genus quam species. Porphyrius tamen non dicit in littera quod plura contineat genus vel colligat quam species, sed quod magis est collectivum genus quam species, eo quod quicquid colligit species colligit genus et non e contra.

Ad secundum respondetur concedendo quod unus homo est plures homines et quod unum est multa, neque opponuntur unum et multa nisi accipiantur eodem modo. Unde, I Physicorum,⁶⁸ dicit Aristoteles quod unum in actu est multa in potentia, et unum secundum continuitatem est multa secundum divisionem. Ita unum specie est multa numero, non autem unum specie est multa specie, neque unum numero est multa numero. Neque contradicunt illa duo 'unus homo est plures homines' et 'nullus homo est plures homines' si subiectum affirmativae supponit simpliciter et subiectum negativae supponit personaliter, sicut neque illa contradicunt 'homo est species' et 'nullus homo est species', 'animal est genus' et 'nullum animal est genus'.

Cum autem allegatur Philosophus, dicens⁶⁹ quod plures trianguli sunt una figura et unus triangulus, dicitur quod Philosophus ibi non loquitur de unitate praedicationis, sed continentiae; ad hunc intellectum, quod plures trianguli continentur sub eadem differentia figurae et non sub eadem differentia trianguli, loquendo de triangulis diversarum rationum ex parte angulorum, qui sunt isosceles, gradatus et isopleuros. Cum enim dividitur figura per habens angulum et carens angulo, patet quod omnes trianguli continentur sub illa differentia, habens angulum; et isto modo omnes trianguli sunt una figura. Triangulus autem dividitur per aequilaterum ^{et inaequilaterum,} sub quarum differentiarum nulla continentur omnes trianguli. Isto modo conceditur quod plures homines sunt unum animal et non unus homo, quia continentur sub eadem differentia animalis, quae est rationale, et non continentur sub aliqua differentia hominis. Cum enim homo nullam differentiam habeat nisi sumptam ex divisione ma

teriae, oporteret quod plures homines essent unus singularis homo. De unitate praedicationis ergo loquitur hic Porphyrius,⁷⁰ intendens quod participatione speciei plures homines sunt unus homo communis in essentia, qui de quolibet illorum per se praedicatur dicendo 'Sortes est homo', 'Plato est homo' etc.